

tiam ad Sabauidæ fines Genevam usque, ac postea præcipuam Germaniæ partem, suscepta, & Academijs illustri-
oribus perlustratis, ac familiaritatis fenestra apud multos
præstantes viros sibi referata; Virtute & doctrina instru-
ctus, moribus elegantissimis ornatus, rerum usu & expe-
rientia mediocri pollens, ad suos Hamburgam rediit. - In
quo itineris curriculo, etsi modo loca Calviniana lue in-
fecta, modo alia Papisticis superstitionibus dedita accede-
ret, tamen ita sc̄e comparavit, ut nunquā vel supersticio-
ne, vel callida simulatione, impictatem istorum hominum
approbare videretur. Iam tum enim sacris erat edoctus li-
teris, utrum vis ficeret, se tenebrarum operibus communi-
caturum, & conscientiam labe hypocriseos contamina-
turum. Quapropter præcipuo isto & communi omnium
peregrinationum fine & usu contentus, Varios variorum
hominum mores diligenter notavit: Rerum publicarum
multarum & clarissimarum formas vidit: Ecclesiarū ritus
accuratè observavit & cognovit: non quidem quod pro-
baret omnia: sed ut de illis interrogatus, referre aliquan-
do posset: quemadmodum illum rerum alibi visarum
jucunda simul & prudenti commemoratione, aures no-
stras s̄apè integras horas detinuisse, nunc non sine vehe-
menti desiderio recordamur.

Neq; vero quenquam esse mihi persuadeo, qui pere-
grinationibus tantum operam dandam esse censem ijs, qui
ad Republicæ aliquando regendæ curam se totos confor-
mant. Etenim cum de rebus politicis sacræ quoq; literæ
doceant, & doctorem Ecclesiæ nonnunquam de earum
dignitate & usu differere, ac virtus turbantia ordinem po-
liticum & civilem societatem, pro concione taxare oport-
eat: certè aliquo rerum usu, & civilium negotiorum co-
gnitione (quæ s̄apè ex peregrinationibus rectius, quam li-